

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6918

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Thierry d'Alsace, Flandre (comte)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1163, 19 mars

Lieu d'émission : Douvres

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Traité avec Thierry, comte de Flandre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCXXXIV, t. 1, p. 374-382.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 375.

Texte établi d'après a

Hec conventio facta est et scripta apud Doverham XIV kalendas aprilis inter Henricum regem Anglie, et ducem Normannie et Aquitannie, et comitem Andegavie, et Henricum filium et heredem suum, et Teodoricum comitem Flandrie et comitem Philippum filium et heredem suum.

Teodoricus comes Flandrensis, et Philippus filius et heres suus, fide et sacramento assecuraverunt regi Henrico, et Henrico filio et heredi suo, vitam suam et membra que corporibus suis pertinent, et captionem corporum suorum, ne rex vel Henricus filius suus eam habeant ad dampnum suum.

Et quod juvabunt eos ad tenendum et ad defendendum regnum Anglie contra omnes homines qui vivere et mori possint, salva fidelitate Lodovico regi Francorum, ita quod si rex Lodovicus regnum Anglie super regem Henricum, vel super Henricum filium suum, invadere voluerit, comes Theodor[ic]us et comes Philippus, si poterint (sic), regem Ludovicum remanere facient, et querent quocumque modo poterint, consilio et precibus, per bonam fidem, absque malo ingenio, sine datione pecunie, ut remaneat.

Et si rex Lodovicus in Angliam venerit, et comitem Theodor[ic]um vel comitem Philippum secum adduxerit, comes Theodor[ic]us vel comes Philippus, uter eorum cum eo venerit, tam parvam fortitudinem hominum secum adducet, quam minorem poterit, ita tamen, ne inde feodum suum erga regem Francie forisfaciat.

Et ante necessitatem, infra XL. dies postquam comes Theodor[ic]us vel comes Philippus ex parte regis Henrici, vel ex parte Henrici filii sui, legato vel literis suis summonitus fuerit, idem comes mille equites habebit ad portus suos, paratos transfretare in Angliam, in auxilium regis Henrici, vel Henrici filii sui, quam citius potuerit.

Et rex Henricus, vel Henricus filius suus, inveniet eis naves, et mittet eas vel ad Gravelingas, vel ad Witsand.

Et tot naves mittet, quot sufficiant tot militibus, ita ut unusquisque habeat secum tres equos, ita tamen quod si rex Henricus, vel Henricus filius suus, has naves simul una vice non miserit, milites remanentes de mille expectabunt ad portum, ab illa die, qua naves cum militibus de portu exibunt, usque ad totum unum mensem, nisi infra ipsum mensem transierint.

Et naves istas salvas faciet comes Theodor[ic]us, vel comes Philippus, de omnibus hominibus suis, et de omnibus aliis hominibus a quibus eas salvare poterit, eundo, morando et redeundo.

Et postquam predicti milites in Anglia erunt, fiducias facient regi Henrico, vel Henrico filio suo, vel legatis suis, si requisiti fuerint, de hoc quod, quamdiu in itinere illo in Anglia erunt, ad proficuum regis Henrici et Henrici filii sui erunt, et non querent quomodo rex, vel Henricus filius suus, perdat terram vel hominem, set juvabunt eos per bonam fidem ad tenendum et ad defendendum regnum Anglie contra omnes homines.

Et si aliqua alia gens super regem vel super Henricum filium suum in Angliam venerit, si comes Theodor[ic]us vel comes Philippus ex parte regis vel Henrici filii sui, ut prediximus, summonitus fuerit, infra predictum terminum, et ante necessitatem, ipsemet comes Theodor[ic]us vel comes Philippus cum mille militibus in Angliam veniet, si non remanserit propter monstrabilem sui corporis infirmitatem, vel terre sue amissionem, vel Lodovici regis Francorum expeditionis summonitionem, vel proper imperatoris Romani expeditionis summonitionem per totam terram suam, si ipse comes Theodor[ic]us vel comes Philippus tunc temporis ibi sit, et ita quod nulla predictarum summonitionum inventa sit per dolum, vel per malum ingenium, ad ejus adventum et mille militum suorum disturbandum.

Et si aliquis comes Anglie, vel alii homines illius terre, regi vel Henrico filio suo boisiaverint, ita quod rex vel Henricus filius suus comitatum vel valens comitatum amiserit, comes Theodor[ic]us vel comes Philippus cum mille militibus in Angliam in auxilium regis vel Henrici filii sui veniet, nisi pro aliqua predictarum quatuor exoniarum remanserit.

Et si uterque comes propter hoc remanserit, ita quod neuter eorum venire possit, mittet mille milites in Angliam in auxilium regis, vel Henrici filii sui, ut supra diximus.

Et si per summonitionem regis, vel Henrici filii sui, plures quam mille milites adduxerit vel miserit, de tot erit quietus in proximo sequenti servitio, quot supra mille adduxerit vel miserit.

Quod si ex mille militibus defuerint XX. vel XL. et usque ad centum, propter hoc comes Theodor[ic]us vel comes Philippus non amittet conventionem suam erga regem vel Henricum filium suum, sed postquam ex parte regis vel Henrici filii sui comes Theodor[ic]us vel comes Philippus summonitus fuerit, infra XV. dies perficiet numerum.

Et homines qui ad regem vel Henricum filium suum venerint, vel qui ab illis venient, salvo et quiete ibunt et venient per totam terram et per omnes portus comitis Theodor[ic]i et comitis Philippi, et nominatim per totam terram et portus de Bolonesio, quicumque ipsi sint, vel undecumque veniant, nec naves defendentur eis in aliquo portuum, ubi eas convenienter conducere voluerint.

Et nec comes Theodor[ic]us nec comes Philippus denegabit licentiam hominibus de terra sua, qui ad servitium regis Anglie vel Henrici filii sui venire voluerint, et si venerint, propter hoc non amittent terram nec feodum, nec conventionem aliquam quam habeant de comite Theodor[ic]o vel de comite Philippo.

Et si comes Theodor[ic]us vel comes Philippus, vel homines sui, in auxilium regis vel Henrici filii sui venerint, quamdiu in Anglia fuerint, erunt ad victum regis vel Henrici filii sui, et rex, vel Henricus filius suus, reddet eis perdita sua facta in Anglia, sicut mos est reddere familie regis Anglie.

Et quamdiu illa necessitas duraverit, erunt cum rege vel Henrico filio suo, et ei fideliter servient, et finita necessitate, permittet eos rex vel Henricus filius suus redire, et inveniet eis naves, et comiti Theodor[ic]o vel comiti Philippo eas salvas cum hominibus suis et pecuniis suis remittet.

Et inimici regis vel Henrici filii sui, qui sibi werram vel per terram vel per mare facient, fiduciam in neutro comitum habebunt, nec receptacula in terra sua, nec in terra Bolonesii, nec alibi, que comes Theodor[ic]us vel comes Philippus eis defendere vel auferre possit, absque omni dolo et malo ingenio.

Et si aliquis hominum comitis Theodor[ic]i vel comitis Philippi regi vel Henrico filio suo, vel hominibus suis forisfecerit, et rectitudinem pro neutro comitum regi vel Henrico filio suo vel hominibus suis facere voluerit, nec in comite Theodor[ic]o nec in comite Philippo nec in hominibus eorum fiduciam habebit, nisi consensu et voluntate regis vel Henrici filii sui.

Et si rex vel Henricus filius suus comitem Theodor[ic]um vel comitem Philippum in Normannia vel Cenomannia secum habere voluerit in auxilio, et eum inde summonuerit, ipse comes cum mille militibus ibit illuc, et regem vel Henricum filium suum per bonam fidem juvabit, sicut amicum et dominum de quo feodum tenet, nec dimittet quin eat, donec rex Francie judicari faciat comiti Theodor[ic]o vel comiti Philippo quod non debeat juvare dominum et

amicum suum regem Anglie, vel Henricum filium suum, cujus feodum tenet, et hoc per pares suos, qui comitem Flandrie de jure debent judicare.

Et istas summonitiones nec comes Theodor[ic]us nec comes Philippus ullatenus diffugient, nec illi qui hanc summonitionem facient dampnum vel malum habebunt per comitem Theodor[ic]um vel comitem Philippum, nec per aliquem hominem de quo eos comites predicti defendere possint.

Quod si rex vel Henricus filius comitem Theodor[ic]um vel comitem Philippum in Normannia secum habere voluerit, et eum literis vel legatis suis summonuerit, comes summonitus ad regem vel ad Henricum filium suum cum mille militibus veniet, qui, postquam in Normannia fuerint, octo diebus erunt ad victum comitis Theodor[ic]i vel comitis Philippi. Et si rex vel Henricus filius suos eos diutius in servitio suo retinere voluerit, morabuntur cum ipso in servitio suo ; et quamdiu eos retinere voluerit, liberationes suas eis dabit, et perdita eorum, in servitio suo facta, eis restaurabit, sicut mos est facere familie sue.

Et si illo tempore rex Lodovicus super regem vel Henricum filium suum in Normanniam intraverit, comes Theodor[ic]us vel comes Philippus ad Lodovicum regem Francie ibit cum XX. militibus tantum, et omnes alii predicti milites remanebunt cum rege vel cum Henrico filio suo, in servitio et fidelitate sua.

Ipse vero comes Theodor[ic]us vel comes Philippus veniet ad regem vel Henricum filium suum in Normanniam, sicut predictum est, nisi remanserit propter apparentem sui corporis infirmitatem, vel terre sue amissionem, vel suam expeditiorem, vel regis Francorum vel imperatoris Romani expeditionem, sicut supra scriptum est.

Et si propter hoc comes summonitus remanserit, mille milites, ut prediximus, in Normanniam ad servitium regis vel Henrici filii sui mittet.

Et si rex vel Henricus filius suus in Cenomannia eum secum habere voluerit, ipse ibit cum quingentis militibus semel in anno, et erit in familia regis vel Henrici filii sui per unum integrum mensem in Cenomannia, si rex vel Henricus filius suus eos tamdiu retinere voluerit, ad liberationem regis vel Henrici filii sui, et ad perdita reddenda, sicut mos est familie regis. Et hoc idem faciet eis rex, vel Henricus filius suus, ex quo intrabunt in Normanniam ad eundem in Cenomanniam.

Quod si comes Theodor[ic]us vel comes Philippus per summonitionem regis vel Henrici filii sui plures quam mille milites in Normanniam, vel plures quam quingentos in Cenomanniam duxerit vel miserit, quot supra mille in Normanniam, vel supra quingentos in Cenomanniam duxerit vel miserit, de tot erit quietus in proximo sequenti servitio horum duorum servitorum Normannie vel Cenomannie.

Quodcumque comes Theodor[ic]us vel comes Philippus regi vel Henrico filio suo semel in anno fecerit, per hoc quietus erit de altero servitio in illo eodem anno, nisi gratia amicitie fecerit.

Et si comes Theodor[ic]us vel comes Philippus in expeditione fuerit quando hanc summonitionem habuerit, post reditum de expeditione habebit respectum usque ad finitas tres hebdomadas, et eundem respectum habebit, si summonitus fuerit inter proximos octo dies post reditum de expeditione ; et si infirmus fuerit, habebit respectum mittendi milites usque ad finitos XV. dies.

Et pro ista conventionem et securitate, et pro servitio supradicto, dedit rex Henricus, et Henricus filius ejus post eum, comiti Theodor[ic]o et comiti Philippo post eum, quingentas marcas unoquoque anno in feodo, scilicet comiti CCCC. marcas, et comitisse Flandrie C. marcas ; et si comitissa decesserit, tota pecunia comiti persolvetur.

Et pro hoc feodo, per istas conventiones predictas, et quia comes Theodor[ic]us hominum fecerat regi Henrico, avo istius regis Henrici, comes Philippus fecit hominum isti regi Henrico.

Et de omnibus istis conventionibus attendendis dederunt comes Theodor[ic]us et comes Philippus Henrico regi et Henrico filio suo istos obsides: Cononem castellanum de Brugis, pro C. marcis ; Eustachium de Gruminis camerarium, pro C. marcis ; Ernoldum comitem de Githnis, pro C. marcis ; Widonem castellanum de Bergis, pro C. marcis ; Walterum de Tenremunt, pro C. marcis ; Rogerum castellanum de Curtrai, pro C. marcis ; Rathonem de Gavera, pincernam, pro C. marcis ; Rogerum de Waverino, dapiferum, pro C. marcis ; Baldenum de Ballolio, pro C. marcis ; Robertum advocatum Betonensem, pro C. marcis ; Terricum de Alost, pro C. marcis ; Michaellem constabularium, pro C. marcis.

Et de istis XII. obsidibus, debent sex eorum conducere prius dictos milites in servitio regis, vel Henrici filii sui, si comes Theodor[ic]us et comes Philippus defuerint propter aliquam predictarum exoniarum ; et si sex de obsidibus non fuerint ad conducendum, duo ad minus de eis illos conducent, et quatuor de baronibus comitis, loco illorum quatuor qui defuerint, eque valentes ad servitium regis vel Henrici filii sui.

Et isti predicti XII. obsides tali conditione sunt obsides: si comes Theodor[ic]us et comes Philippus de predictis conventionibus exierint, vel alter eorum, et ipsi eum infra tres quarentenas reconciliare regi vel Henrico filio suo non pot[uer]int, quod unusquisque de predictis obsidibus dabit regi vel Henrico filio suo C. marcas argenti, et facient infra tres quarentenas, vel in captione regis vel Henrici filii sui se ponent, pro predictis marcis ; et rex, vel Henricus filius suus, ab eis non plus exiget, quam quod predictum est, et ponent se in captione in turri London., vel in alio loco, ubi rex, vel Henricus filius suus, eos libere possit retinere ad proficuum suum.

Et si aliquis de istis obsidibus mortuus fuerit, vel a fidelitate comitis Flandrie aut a terra sua recesserit, comes alium equivalentem in loco ejus ad summonitionem regis vel Henrici filii sui restaurabit.

Et si, dum obsides jamdictam pecuniam regi miserint vel Henrico filio suo, eis in Anglia ablata sit ab hominibus quos rex vel Henricus filius suus constringere possint, quieti erunt.

Et si in mari eam perdiderint, habebunt respectum per XL. dies ad restaurandam pecuniam.

Et si regi vel Henrico filio suo placuerit, comitissa Flandrensis assecurabit regi vel Henrico filio suo, fide sua, pro feodo suo predicto, quod ad omne posse suum, consilio suo et precibus suis, faciet comitem omnes predictas conventiones tenere integre, et servitia fideliter facere, per bonam fidem, absque omni dolo et malo ingenio.

Rex vero assecuravit comiti Theodor[ic]o et comiti Philippo vitam suam, et membra que corporibus suis pertinent, et captionem corporum suorum, ne comites eam habeant ad dampnum suum, quamdiu comes Theodor[ic]us vel comes Philippus predictas conventiones regi vel Henrico filio suo tenuerit.

Et propter predictas conventiones et predictum servitium dabit rex, vel Henricus filius suus, comiti Theodor[ic]o vel comiti Philippo predictas quingentas marcas in Natali Domini.

Et si predicta pecunia in predicto termino tota persoluta non fuerit, infra XL. dies postquam ipse rex summonitionem comitis per legatum suum in Anglia vel in Normannia susceperit, illam persolvat.

Si vero in aliqua alia terrarum suarum summonitionem inde a legatis comitis susceperit, infra XL. dies postquam in Angliam vel Normanniam redierit pecunia persolvatur, sine malo ingenio.

Hujus conventionis ex parte regis et Henrici filii sui obsides sunt: Richardus de Humez constabularius, pro C. marcis ; Reginaldus de Sancto Valerico, pro C. marcis ; Richardus de Luscy, pro C. marcis ; Henricus Filius Geraldii, camerarius, pro C. marcis ; Bernardus de Sancto Walerico, pro C. marcis ; Manasserus Biset, dapifer pro C. marcis ; Rogerus de Cailli, pro C. marcis ; Hugo comes de Norf[olc], pro C. marcis ; Willielmus comes de Arundel, pro C. marcis ; Robertus filius comitis de Legr[ecestria], pro C. marcis ; Galfridus, pro C. marcis ; Hugo comes Cestrie, pro C. marcis.

Et isti tali conditione sunt obsides erga comitem, quali conditione comitum obsides erga regem et Henricum filium suum.

Et omnes obsides communiter assecuraverunt quod non diffugient summonitionem, et quod summonitores securi erunt ab eis, et ab omnibus quos prohibere poterunt a nocumento ipsorum.

(Dans les *Fœdera*, le texte du traité conclu avec le comte de Flandre est accompagné de la pièce suivante.)

« Déclaration fournie par les barons, châtelains et autres hommes du comte de Flandre, au sujet du service qu'ils doivent à Henri II pour les fiefs qu'ils tiennent de lui. »

Sciant omnes, tam presentes quam futuri, quod hec est recognitio servitii quod barones et castellani et ceteri homines comitis Flandrie debent Henrico regi Anglie, sicut domino, pro feudis que de ipso habent, quam recognoverunt et assecuraverunt tenendam coram rege et baronibus suis, et coram comite Theodor[ic]o et comite Philippo filio suo et baronibus suis apud Doverham, scilicet quod ipse qui habebit triginta marcas argenti de feodo veniet cum decem militibus ad servitium regis in sua summonitione, sicut comes Flandrie debet venire ad summonitionem suam ad faciendum servitium quod ei debet, sicut carte, que inter regem et predictos comites facte sunt, monstrant et testantur. Et sicut ille, qui habet XXX. marcas de feodo, cum decem militibus venire debet in servitium regis, ita venient alii in servitium ejus ad summonitionem suam, cum pluribus vel paucioribus militibus, secundum quod habent majorem vel minorem numerum marcarum de feodo. Et pro feodis que predicti barones et castellani habent de rege, sunt homines sui, et debent ei fidelitatem sicut domino. Et hanc recognitionis cartam sigillaverunt comes Theodor[ic]us et comes Philippus filius ejus, petitione baronum ipsorum et castellanorum, ut ipsa recognitio, inter regem et ipsos barones de servitio quod ei debent facta, firma et stabilis permaneat.

Hujus rei testes sunt:

Thomas Cantuariensis archiepiscopus. Regin[aldus] de Sancto Walerico.

Ric[ardus] de Luci.

Johannes comes de Puntivo. Ric[ardus] de Humez constabular[ius].

Manasser[us] Biset dapifer. Razonis de Gavera.

Bernardus de Sancto Waler[ico]. Castellani de Broborgh.

Henr[icus] de Essex. Castellani de Berghes.

Walchelin[us] Maminot. Sigeri de Broborg filii Jordani.

Henr[icus] Fil[ius] Geroldi camerar[ius].

.....

Jocelin[us] de Bailliolo. Walteri de Denremundo.

Hug[o] de Dovera.[advo]cati de Betunia.

Will[elmus] de Crevequer. Castellani Sancti Audomari.

Rog[erus] de Cailli. Stephani de Soneigeke.
Hug[o] com[es] Cestrie. Jordani castellani.....
Will[elmus] com[es] de Ferreres. camerarii Flandrie.
Hugo de Longo Campo. Rogeri castellani de Cortrai.
Will[elmus] de Traci. Michahelis constabular[ii].
Will[elmus] Fil[ius] Adelini. Theodorici de Alost.
Cono castellanus de Bruges. Guidonis de Stemford.